



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quo modo Iohannes in episcopatu collocatus Rē ecclesiasticam cordi
habuerit, et Ecclesias vbiq[ue] correxerit: & quo modo Flauiano Pontificem
Romanum reconcilauerit. Capvt III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

Quo modo Iohannes in episcopatu collocatus Rē ecclesiasticam cordi habuerit, et Ecclesias ubiq; correxerit: & quo modo Flauiano Pontificem Romanum reconcilauerit.

CAPVT III.

Iohannes igitur in Episcopatu constitutus, primum clericorum suorum vitam emendare studuit, & facta in eorum conuersatione, in victu & in reliquam vitæ consuetudinem diligenti inquisitione, redarguebat, corripiebat, & nonnullos etiā ab ecclesia submouebat: nam cum ad corripiendum natura propensus esset, ac iuste eos obiurgaret, qui deliquissent, in Episcopatu etiam non plus indulgit his affectibus: natura enim auctoritate fulta, linguā ad redarguendum facile mouebat, & iram aduersus delinquentes propius incitabat: neq; verò suā duntaxat Ecclesiā, sed & aliorum vniuersas ille, seu bonus ac magnanimus Episcopus emendare conabatur: Quam primū enī ad episcopatū peruenisset, cū Aegyptij sacerdotes & Occidentales adhuc cū Orientalibus disiderēt propter Paulinū, & cōmunis quædā distractio ob id ipsum ecclesias per vniuersum Imperiū detineret, Theophilū orabat, vt in hoc sibi auxiliū ferret, quo Flavianus in gratiam Romani Episcopi reduci posset: Cōsensu igitur vtrimq; facto, ad hoc negotiū eliguntur Acacius Beroënsis episcopus, & Isidorus ille, cuius noīe Theophilus ordinationi Iohannis obstiterat: Hi profecti Romā ac legatione pro votis functi, in Aegyptū abnauigabant. Et hinc porro in Syriam peruenit Acacius, Flavianus literas pacificas ab Aegyptijs & occidentalibus sacerdotibus adferens. Cæterū ecclesiæ quanquam hac dissentione ad hunc modū liberatæ essent, pristinam tamē concordiam inter sese nunquā recuperarunt. Antiochiæ verò eorum multitudo, qui Eustachiani dicebantur, ad tēpus aliquod inter sese etiā sine Episcopo cōueniebat: Etenim cū exiguum tēpus superuixisset defunctus est, vt cognouimus, Euagrius Paulini successor: Hinc enim vt opinor extiterunt Episcopis delectus faciles, cū nemo sese his opponeret. Populus igitur prout vulgus consuevit: paulatim & identidem his accessit, qui sub Flauiano conueniebant, atque ita maxima eius pars vnita fuit.